

tionibus VVLTEII in l. 1. n. 96. C. de iurisd. omn. iud. et lib. 1.
cap. 4. n. 56. de Iudiciis, quo lectorem breuitatis studio remitto,
Consiliarios hosce aut Legatos nullam habere iurisdictionem
puto, non ordinariam, quia ordinatione vel lege illis data non
est: Non etiam delegatam, quia vnuus saltem Status delegare
non potest iurisdictionem quam per se solus non habet in Re-
uisione, sed eam quam habet, habet in corpore vniuerso siue
Collegio Revisorum. Proinde Iurisdictione Revisorum est vnicā
et in toto corpore siue Collegio ordinaria nec residet in per-
sonis singulorum. Hinc Consiliarii siue Legati nihil aliud ha-
bent quam exercitium ordinariae iurisdictionis, quam is qui
ipsum misit habet in Collegio: Quod exercitium iurisdictionis
ab ipsa iurisdictione aliud est et quasi separatum, sicut et exer-
cium imperii meri aliud est ab ipso imperio mero, vti manife-
sto constat ex l. 1. ff. de off. ei. cui mand. est. iurisd. Collegii ita-
que Revisorii semper ordinaria est iurisdictione, siue veniant Sta-
tus ipsi quos ordo tangit siue Consiliarios suos mittant, quam-
uis exercitium eius eodem modo non semper expediatur.

§. IX.

Repraesentant Revisores non tantum Imperatorem, sed et
vniuersos Imperii Status: Cumque Camera etiam simili modo
concurrente cum Imperatore et Statibus Iurisdictione polleat,
paritas autem imperium renuat et par in parem non habeat po-
testatem per l. 4. ff. de rec. arbitr. Nou. 23. c. 4. c. anteriorem.
2. q. 6. c. innottuit. X. de Electione. non sine ratione quaeritur,
quomodo Revisores tanquam pares, sententias Iudicium Came-
ralium possint corrigere? Respondendum puto, quamuis vt
dictum, concurrat Camera cum Imperatore in iurisdictione,
hoc tamen singulariter limitatum esse, quoad Visitationem an-
nuam et Iudicium Revisorium: In his enim Commissarii Caesa-
rei et Revisores superioritatem ex ipsa lege Imperii sibi vendi-
cant, non obstante quod par in parem non obtineat imperium
siquidem limitationem patitur, vbi alter altero est maior in ad-
ministratione. Sic vtique maior est Revisorum autoritas in ne-
gotio Reuisitionis quam Iudicis et Assessorum Camerae, quia
Revisores in id constituti sunt, vt sententias Camerales vel con-
firment vel retractent, quibus Camera obsequi quoque tenetur

arg.